

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

IV. An non solùm Deus simul concurrat cum Causis secundis, sed eas etiam ad agendum per præviam qualitatem in illis impressam præmoveat ac prædeterminet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

non esse tam perfectum Dominum omnium creaturarum, ac fieri potest, qualis non esset; quia non haberet dominium immediatè in operationem creaturæ; unde

IV. Dic contra P. Poncium lib. 2^o. Physic. Disput. 38. q. 6. Deum ad actiones creaturarum concurrere per eandem, per quam concurret creatura, actionem, alioqui (præterquam quod sit expressa sententia Divi Thomæ de pot. quæst. 3. art. 7^o. ad 3. ipsa natura operatio est etiam operatio virtutis divine.) actio creaturæ, vel à Deo non egredieretur, vel ad summum penderet à concursu Dei realiter à se distincto tamquam à conditione sine qua non: 1^{um} est Ludovici à Dola sententia totà hac Resolutione rejecta. 2^{um} verò est contra P. Arriagam num. 29. impugnatum. hinc tamen illegitimè inferes Deum propterea pendere propriè in agendo à creatura, id est, ex quadam indigentia creaturæ & defectu virtutis; quasi verò non posset se solo effectum ponere, si vellet; sed ex natura ipsius actionis, videlicet, quia talis est, ut non possit, utpote ultima determinatio talis agentis, videlicet Dei & creaturæ, esse ab alio agente, vel partiali, vel totali, quàm Deo & creaturæ.

DUBIUM IV.

An non solum Deus simul concurrat cum Causis secundis, sed eas etiam ad agendum per præviā qualitatem in illis impressam præmoveat ac prædeterminet.

ANTE Resolutionem
IV. Suppono, præmotionem, sive prædeterminationem, Physicam dari, distinctam à concursu simultaneo; quæ Physicè & realiter ponit & imprimat aliquid in ipsa causa inferiori, estque complementum & applicatio ad agendum, non per modum virtutis in actu primo, sicut dantur habitus, sed per modum ultimæ determinationis & applicationis actus primi ad secundum. ita communiter (inquit P. Ioannes à S. Thom. hic quæst. 25^a. art. 2^o.) schola Divi Thomæ & ejus discipuli, tam recentiores, quàm antiqui. Verùm PP. nostri Complutenses obscuritatem aliquam adjiciunt 1. p. Tract. 4^o. Disput. 10^a. Dub. 4^o. §. 2^o. ubi ferè per totum docent præmotionem, prædefinitionem & prædeterminationem non tollere quominus voluntas se per consilium & deliberationem determinet. quomodo igitur ultima determinatio & applicatio, si relinquat in voluntate condistinctum (de qua ibi, quia consilii & deliberationis) determinationem per consilium & deliberationem? hæc enim ex mente horum Complutensium potius est ultima determinatio & applicatio; illa verò penultima, ut satis insinuant per hæc verba, non est contra rationem causæ liberæ, quod determinetur ab extrinseco per priorem illam determinationem, quæ realiter præcedit actum secundum, quando illa determinatio est talis naturæ ut non tollat quominus ipsa voluntas liberè se applicet & determinet per consilium & deliberationem, &c. Hæc certè difficulter ab ipsis conciliabuntur; supponamus enim actum secundum, ad quem est præmotio, esse primum actum consilii & deliberationis, quem causa libera elicit; tunc manifestè sequitur, præmotionem illam non esse ultimam determinationem & applicationem; quia præcedit consilium & deli-

berationem, quæ per ipsos est determinatio & deliberatio, quæ voluntas liberè se applicat & determinat. Vnde vel PP. nostri Complutenses incidunt in sententiam adversariorum suorum, qui ultimam determinationem voluntati creatæ relinquant, vel se non satis explicant: quare in relatione P. Ioannis à S. Thomæ sistimus, & juxta illam circa dubium

IV. Duæ sunt celeberrimæ sententiæ; prima quidem negativa Nominalium, Ochami in 1^{um}. distinct. 6. voluntas nullo variato ex parte sua nec ex parte cujuslibet alterius (nota) habet in potestate sua, ita non producere, sicut producere. idem ferè repetit etiam in 1^{um}. distinct. 38. quæst. unica circa principium: eadem etiam ferè verba habent Gabriel in 2^{um}. distinct. 25. quæst. unica, circa initium & Gregor. Arim. in 1^{um}. distinct. 10^a. quæst. unica art. 2^o. Item Marsilii in 2^{um}. quæst. 16. art. 4^o. causa determinans ad hanc volitionem est sola voluntas, nunc acceptans; quod antè non voluit acceptare, eisdem existentibus impellentibus: Majoris in 2^{um}. distinct. 25. quæst. 3^a. circa finem, voluntas vult hoc obiectum; quia & placet, & sua libertate ad hoc se determinat; neque querendum est aliud ab ea, per quod se determinat; sed sicut calor naturaliter calefacit; ita voluntas liberè vult: Eximii P. Magistri nostri Bachonis clarissime in 2^{um}. distinct. 25. quæst. 1. art. 1^o. igitur ex opposito, si voluntas ratione suæ libertatis est domina suorum actuum, in quantum libera à nullo alio à se procedit in actum, id est determinatur ad actum. Et distinct. 26. quæst. 1. art. 4^o. pro quacunque hora voluntas non potest indifferenter exire in ea, quæ sunt ad finem, non est domina sui actus, ac per consequens non libera libertate arbitrii. Bachoni ad stipulatur etiam noster Waldensis doctrinalis fidei lib. 10. art. 1^o. c. 25^o. ubi ab arbitrii libertate removel omnem necessitatem ab extrinseco, quæ non sit in potestate nostra. Etiam est Scotistarum post Scotum in 4^{um}. distinct. 1. quæst. 1. & PP. Societatis, de quibus sic scribit P. Oviedus Physic. contrav. 10^a. p. 3. tota Societatis schola qualitatem hanc totis viribus rejicit: utriusque scholæ Doctores abundè apud quemlibet reperies; ideo nullum refero: tantum moneo nullum ex nostræ Societatis auctoribus non illam abundè impugnasse: ex illustrissima verò Dominicorum familia nullum, ante Bannez, qui hujus prædeterminationis fuit primus parens, illam docuisse, & post hunc illam abjurasse Alvelda Disput. 58. & Disput. 6. membr. 2. & M. Fr. Laurent. Gutierrez vir miro ingenio præditus, excellensque doctrinâ, vehementer semper hanc prædeterminationem stomachatus est. Nec his malè additur Capreolus in 1^{um}. distinct. 24. quæst. unica art. 3^o. voluntas ratione suæ libertatis se determinat ad id quod vult, & ita non indiget alio determinante. & 45^a. quæst. unica voluntas quantum ad exercitium actus, scilicet ut velit, vel non velit, determinatur à seipsa.

LVII. Secunda sententiâ est affirmativa ferè omnium Thomistarum, quam PP. nostri Complutenses dicunt esse communem inter antiquos Philosophos, ac inter Thomistas, tam antiquos, quàm recentiores. idem ferè testantur Ripa ad quæst. 19. 1. p. art. 8. dub. 1. cap. 3. Nazarius 1. p. quæst. 22. art. 4. contr. 1^a. & Alvarez de Auxiliis disp. 18. à n. 10. qui verius, an hi, an P. Oviedus statim à authoribus suis relinquo.

LVIII. An præmotio Physica consistat vel non consistat cum libertate creata, ob decretum Apostoli.

Apostolica, etiam nuperrimè sub Innocentio X. in Belgio publicata & recepta, ne vel indirectè de concordia libertatis cum auxiliis tractetur, in tempus obtentæ à Sancta sede facultatis consultò differimus.

RESOLUTIO I.

LIX. **D**ico 1^o. Deus non præmouet aut prædeterminat causas secundas ad agendum per præuiam qualitatem illis impressam.

LX. Probatur 1^o, quia illa qualitas, vel se habet ad effectum per modum viæ, actus primi, aut habitus; vel per modum termini, actus secundi, aut motionis & determinationis actualis: sed neutrum dici potest, ergo &c.

LXI. Probatur minor pro 1^a parte, quia ut sic non esset ultima determinatio, sed penultima, haud secus quàm actus primus ad secundum indifferens: unde ulteriorem determinationem requireret; ac proinde non sufficeret; de hac autem alia idem quaereretur, & sic in infinitum, ergo, &c.

LXII. Probatur minor pro 2^a parte; quia satis est, si dicatur causam agentem, siue liberam, siue necessariam, prout præcisè distinguitur à sua actione, ad Deum primum motorem eodem planè modo se habere, quò ad illum se habet illa prævia qualitas, sic nempe, ut causa agens ut sic, ad effectum se habeat per modum actus secundi, aut motionis & determinationis actualis ad effectum & causam agentem; nam illa ut sic non est indifferens ad effectum, sed cum infallibiliter ponit, prout non esset, & cum poneret ut subjecta isti qualitati; quæ tamen, præterquam quòd superflua sit, infinitas difficultates in Philosophiam & Theologiam, sine necessitate, inuehit, ergo, &c.

LXIII. Dices, causa ut sic non subicitur, nec subordinatur, aut à Deo pendet, quatenus causa secunda sui effectus, licet ipsius effectus & ipsa materialiter illi subiciantur ac subordinentur; sed hoc requiritur ad rationem primi motoris, primæ causæ, &c. ergo, &c. Probatur major, quia non est per quid subiciatur, &c.

LXIV. Respondeo negando maiorem, ad ejus probationem, peto per quid illa qualitas causam illam quatenus causam secundam sui effectus Deo subiciat, subordinet, &c. si dicas per se ipsam, peto cur idem non dicas de causa agente ut sic, id est, ut præcisè distincta à sua actione? illa enim præcisè ut sic, non magis est per modum actus primi ad effectum suum indifferens, quàm ipsa qualitas prævia, nec minùs ipsa ut sic est à Deo causà primà, quàm hæc.

LXV. Probatur 2^o, vel illa qualitas prævia, est ex se determinata ad hunc individuum effectum in particulari, vel non? non 2^{um}, quia alià determinatione indigeret, ut patet. igitur 1^{um}; quia non datur medium; 1^{um} autem evidenter est contra D. Thomam pluribus locis & nominatim 1. 2. q. 103. art. 4. quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam moveret, quòd non ex necessitate ad unum (nota) determinat. lib. 10. contra gentes c. 68. Dominum quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit (nota) determinationem voluntatis ad unum, ergo, &c.

LXVI. Confirmatur, Deus juxta D. Thomam movet voluntatem juxta uniuscujusque proprietatem

1. p. q. 83. art. 2^o. in corpore, operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. Item & juxta uniuscujusque inclinationem, 1. 2. q. 13. art. 4^o. in corpore, ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare: unde omnia movet secundum eorum conditionem; ergo causas necessarias per præmotionem ex se determinatam ad unum movet; liberas verò per præmotionem ex se indeterminatam ad unum; ut clarè sequitur art. 4^o citato in corpore, ita quòd ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus, siue liberis, effectus contingenter: quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam moveret, quòd non ex necessitate (id est per præmotionem ex se determinatam ad unum) ad unum determinat; sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius, nisi in eis ad quæ naturaliter movetur. Quæ omnino confirmat ibidem. Ad primum ergo dicendum, quòd voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius: & ideo magis repugnaret divine motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quòd sua natura non competit, quàm si moveretur libere, prout competit sua natura, ergo, &c.

LXVII. Subsumo: atqui, siue qualitas illa prævia dicatur ex se determinata ad unum, siue indeterminata ad unum, per eam Deus causas non movebit secundum suam proprietatem & conditionem: quia si ad unum determinata, causæ libere sunt ad unum indeterminatae: si ad unum indeterminata, causæ necessariae sunt ad unum determinatae, ergo, &c.

LXVIII. Objicies fortè, subtiliter ex P. Ioanne à S. Thoma hic q. 25. art. 3^o. qualitatem illam præviā esse determinatam ad unum, sic tamen ut illius determinatio pugnet quidem cum indifferentia passiva & potentialitatis, non verò cum indifferentia activa & potestatis; sic enim, inquit, à præmotione causæ primæ dimanat substantia & determinatio actus, ut etiam modus ejus & singularitas dimanet; quia omnipotentissima Dei potestas magis continet voluntates nostras, quàm nos ipsi, siue, quàm anima nostra, juxta illud D. Thomæ 1^a. p. q. 19. art. 8^o cum igitur divina voluntas sit efficacissima, non solum sequitur quòd sunt ea, quæ Deus vult fieri; sed quòd eo modo sunt, quòd Deus ea fieri vult. cui consonat illud August. de correct. & gra. cap. 12. Deus sine dubio habet humanorum conditum, quo placet, inclinandum omnipotentissimam potestatem, ergo, &c.

LXIX. Respondeo 1^o. an ex præmotione determinata ad unum necessaria ad actus liberos rectè inferatur non indifferentia activa & potestatis, ac proinde necessitas activa & naturæ, nec ne, spectare ad concordiam libertatis cum auxiliis hodie agitari prohibitam: quare id (ut supra monuimus) in aliud tempus differimus, & ideo aliter

LXX. Respondeo 2^o. si præmotio Physica sit ex se ad unum determinata & ex se ad unum determinans, omnino impertinens esse, quòd non pugnet cum indifferentia activa & potestatis; quia saltem sequitur, quòd hanc non moveat juxta proprietatem suam; secundum conditionem suam, &c. quia igitur voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam moveret, quòd non ex necessitate ad unum determinat. ita D. Thomas 1. 2. q. 103. art. 4. vide loca in Confirma-

firmatione citata : oppositum autem contingit hoc ipso, quod præmotio est ex se, sive naturâ suâ, ultima determinatio ad unum. Id verò, quod ultimo loco in Objectione additur de omnipotentissima Dei potestate, & præmotione secundum substantiam & modum ejus, ac singularitatem, ex ea exeunte; verum quidem est de substantia & modo substantiæ proportionato; non verò de substantia & modo substantiæ, non solum naturaliter (de quo hîc) sed & supernaturaliter improporionato, prout est substantiæ ex se determinatæ ad unum, modus activè indifferens, qui ibi adstrui debet: quis enim putet, non solum de potentia ordinaria, sed etiam de potentia Dei absoluta, possibilem creaturam, quæ sit ex substantia sua determinans ad unum, & tamen ex modo determinandi eidem substantiæ identificato, activè indifferens per modum actus secundi? id enim, revera est unum & idem realiter respectu ejusdem esse ex se determinatum ad unum, & ex se indifferens, sive non determinatum ad unum; quæ tam opponuntur, quam idem esse determinatum & indeterminatum respectu ejusdem, idem esse causam necessariam & liberam respectu ejusdem actus; omnipotentissima autem Dei potestas, non est ad similia opposita impossibilia; & licet esset, eò recurrendi nulla necessitas est, ut Resolutione sequenti videbitur; nec pro præsentis rerum statu eò recurrendi consultum est, ne hinc hæretici ansam sumant dicendi causam necessariam & liberam in creatis confundi, sive omnes causas secundas esse quoad substantiam determinatas ad unum, secundum modum verò, esse activè tantum indifferentes per modum actus secundi; quò optimè suam hæresim palliarent.

LXXI. Respondeo 3^o ad Authoritatem D. Thomæ & Aug^{ustini} in primis ibi loqui de operibus gratiæ, ut evidenter constet ex particula exceptivâ nisi forte, ubi demùm loquitur de operibus naturæ: quomodo autem per gratiam efficacem Deus voluntatem, salvâ illius libertate, inclinet; non est hujus fori, ut sæpius monui. S. Thomas autem sic intelligi debet, ut Deus habeat in omnipotentissima potestate applicare causas contingentes ad effectus contingentes, ubi & quando vult; necessarias verò ad necessarios, ubi & quando vult, ut patet ex sui ipsius expositione 1. p. q. 19. art. 8. in corpore, cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri; sed quod eò modo fiant, quò Deus ea fieri vult: vult autem quedam fieri Deus necessario, quedam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum Universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt. quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Non igitur propter eâ effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia causa proxime sunt contingentes: sed propter eâ, quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.

RESOLUTIO II.

LXXII. Dico 2^o. Deus non solum concurrat simultaneous concursu cum causis secundis, sed & præviò aliquò Physicè efficaci.

LXXIII. Probatur prima pars 1^o, quia sic Deus est causa prima actionis causæ secundæ, ut sit etiam

causa actionis causæ 2^æ prout causæ 2^æ; atqui hoc non salvatur in concursu simultaneo, ergo, &c. Probatur minor, quia dum duæ causæ naturales simul conveniunt ad eundem effectum, & sic quidem, ut una effectum per se possit, & alia per se non possit, ut cum equus magnus & parvus trahunt eandem navim, una causa non potest esse causa actionis alterius causæ prout alterius causæ; etenim magnus equus sic est causa actionis parvi, ut non sit etiam causa actionis parvi equi prout parvi equi, quia illum non movet, ergo, &c.

LXXIV. Respondebis distinguendo minorem, atqui hoc non salvatur in concursu simultaneo, quatenus Deus est causa illius ut concursus causæ 2^æ in effectum, concedes minorem; quatenus Deus est causæ illius ut causæ secundæ concursus in effectum, negabis minorem.

LXXV. Aptè quidem Responsurus es; sed Deus, quatenus causa concursus ut causæ secundæ concursus in effectum plus importat, quam Deus quatenus causa concursus ut concursus causæ secundæ in effectum, ut probatio convincit; hujus autem nusquam mentionem facis; nec quid sit uspiam nobis exponis; an videlicet sit præcisè actio ipsius creaturæ & Dei simul? quod probatione istâ rejectum est; an actio Dei & simul ipsius creaturæ quatenus à Deo præmotæ? & id ipsum est, quod contra te contendimus.

LXXVI. Prob. 1^a pars 2^o, quia simultaneus Dei cum causis secundis concursus non excludit alteram primam causam ut primam, sive alterum primum principium ut primum; sed hoc est valde absurdum, ergo, &c. Probatur major; quia duæ quæ prima possunt habere simultaneum concursum in eundem effectum; ut tantillum consideranti patebit, ergo, &c.

LXXVII. Respondebis negando majorem, quia, inquires, illa altera causa Deum suum primum principium præsupponit. Sed

LXXVIII. Contra, per hoc non satisfacis; quia licet ut effectus, sive ut causata aliud principium primum præsupponit; ut causa tamen sui effectus, sive causans, aliud principium primum non præsupponit; quia per te Deus in causam ut concursus simultanei causam non influit, sed in causam tantum ut Dei effectum; & in ejus actionem, & hujus actionis terminum, quæ ut consideranti patebit, non excludunt alteram primam causam ut talis effectus & concursus simultanei in ipsum causam.

LXXIX. Probatur prima pars 3^o ex D. Thoma q. 3. de pot. art. 7^o. ad 3^{um}. Dicendum, quod in operatione, quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura: atqui illa operatur in concursu simultaneo, ut prosequitur, sed ipsa natura operatio est etiam operatio virtutis divinæ, ergo, &c.

LXXX. Confirmatur, alioqui, si concursus Dei cum causis secundis esset simultaneus & indifferenter à causa secunda ad talem, vel talem actum determinabilis, (ut fatentur illius Authores) causa secunda haberet à se determinare primam, si sic, quidni haberet etiam esse à se? quia determinare, est quoddam esse, quòd tamen creatura à se haberet; id autem videtur periculosum, imò id ipsum est, quod supra dub. 3^o. contra Durandum, à Dola, &c. rejectum est: si verò dicas, quòd Deus adhuc in illam determinationem per modum causæ universalis influeret; peto, an per influxum indifferenter

differentem, an per determinatum ad unum ac ad unum determinantem? si 1^{um}, sequitur processus in infinitum; quia de hoc indifferenti idem petam, & sic in infinitum: si 2^{um}, igitur ille influxus, non est simultaneus præcisè, sed prævius, ergo, &c.

LXXXI. Probatur 2^a pars 1^o autoritate Aristotelis 8. Physic. text. 13^o. ubi sic habet, *utrumque igitur movere dicimus, & primum, & ultimum, moventium; sed magis primum; illud enim movet ultimum; sed non hoc primum; & sine primo quidem ultimum non movebit; illud autem, sine hoc, ut baculus, non movebit non movente homine. Sed primum movet ultimum per prævium concursum, ergo, &c.* Probatur minor, quia, si sermo sit de motu locali corporeo, expressa est sententia Aristotelis 3. Phys. 16. *quod motus moventis antecedit motum mobilis, idque experientia docet: si de quocumque, clarum est Deum prius concurrere in movens quatenus consideratum in statu, quo causans præcisè condistinguitur à sua actione, quam concurrat in effectum, idque procul dubio vel ipse Aristoteles loco supra citato agnovit, ut constat ex his particulis, sed magis primum, ergo, &c.*

LXXXII. Probatur 2^o ex D. Thom. q. 22. de verit. art. 8. *sicut omnis actio naturalis est à Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est à voluntate ut immediate agente, sed à Deo ut primo agente, qui vehementius imprimit: quomodo imprimit vehementius? nisi per hoc, quod non solum in effectum, sed etiam in effectus causam imprimat: quod causa non facit: unde Catechismus Romanus, Deus, quæ agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem (nota concursum prævium) impellit, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus (nota concursum simultaneum) agit. & idem D. Thom. 1. p. q. 105. art. 1^o. ad 3^{um}. Deus res applicat ad agendum. item q. 3. de potentia art. 7. Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum (nota prævium concursum) applicat actioni (audi conditum concursum simultaneum) & in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. ista autem omnino confirmantur ex 1. p. q. 105. art. 1^o. ad 3^{um}. hoc ipsum quod secundæ causæ determinatur ad determinatos effectus, est illis à Deo. & ibidem supra q. 13. art. 3^o. ad 5^{um}. causa, quæ ex se est contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, ergo, &c.*

LXXXIII. Confirmatur hæc secunda pars probationibus primæ partis.

RESOLUTIO III.

LXXXIV. **D**ico 3^o. concursus prævius Physicè efficax, quo Deus concurrat cum causis secundis, est aggregatum ex omni concursu Dei ad omne id, quod se tenet ex parte causæ causantis, prout causa causans præcisè à sua actione condistinguitur.

LXXXV. Probatur 1^o. quia aggregatum illud est virtualiter ipsa qualitas prævia, quam requirunt omnes ferè Thomistæ; ergo, &c. Probatur antecedens, quia illud est per modum applicationis & ultimæ determinationis ad unum actum singularem, (aliunde supposita determinatione naturæ ex se ad individuum, de qua infra:) sed prævia illa qualitas ab authoribus suis ita definitur, ergo, &c. Probatur major hujus Assumpti, quia impossibile est esse aggregatum illud, & non sequi actum il-

lum singularem, quandoquidem supponatur esse omne id, quod se tenet ex parte causæ causantis, prout causa præcisè à sua actione condistinguitur; quia hoc semel supposito, si per impossibile non sequeretur actio, refundi non posset in defectum alicujus ex parte causæ, ut patebit consideranti ly præcisè, ergo, &c.

LXXXVI. Probatur 2^o; quia per aggregatum illud, omnino salvantur ea, quæ Resolutione præcedenti pro probationibus primæ partis attulimus, ergo, &c.

LXXXVII. Probatur 3^o: quia sic de concursu prævio loqui debemus, ut determinet voluntatem ad operandum, & voluntas sub illo se determinet ad actionem; atqui id omnium commodissimè fit in nostra sententia, ergo, &c.

LXXXVIII. Probatur major pro 1^a parte ex D. Thoma, locis Resol. 2^a prob. 2^a. pro secunda parte citatis. pro 2^a, autem probatur ex eodem lib. 1^o contra gentes cap. 68. *Dicendum quod liberum arbitrium est causa sui motus: quia homo per liberum arbitrium est causa sui motus: quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum, &c.* Et infra 1. 3. c. 111. *sola creatura rationalis habet Dominium sui actus, libere se agens ad operandum: ergo, &c.*

LXXXIX. Probatur minor, quia voluntas posito præcisè illo aggregato, sic sui determinationem ponit, sive volitionem, ut simul à Deo ponatur prout ipsa est à voluntate; sed prout à Deo ponitur prout est à voluntate, voluntas à Deo determinatur, & prout voluntas eam ponit seipsam determinat, & sic clarè verificantur ea, quæ habet D. Thomas q. 3. de malo art. 3^o. in corpore *motus voluntatis directè procedit à voluntate & Deo, qui est voluntatis causa, id est, qui voluntatem ad illam determinat; ergo, &c.*

LXXXX. Dices, ibi non explicatur, quod contra alios Resolutione præcedenti reprehenditur, videlicet, quomodo determinatio voluntatis, sive volitio, à Deo ponatur, prout ipsa est à voluntate, si nē prævio concursu Dei, qui sit qualitas intrinseca ex se voluntatem ad illam determinans, per modum ultimæ determinationis, & actus secundi, ergo, &c.

LXXXXI. Respondeo determinationem illam, sive volitionem, à Deo poni prout est à voluntate, in quantum Deus virtute suâ applicat, præparat, aptat, &c. voluntatem ad agendum, id est, in quantum concurrat ad omne id, quod se tenet ex parte causæ causantis, prout causans præcisè à sua actione condistinguitur: homo enim sic applicat cultrum ad incidendum, ut ab ipso ponatur incisio prout est à cultro incidente, in quantum (ut magis) concurrat ad omne id, quod se tenet ex parte cultri incidentis, prout culter incidens præcisè à sua incisione condistinguitur, & ideo illa incisio dicitur poni ab homine, prout est à cultro; item homo dicitur præparare, aptare, &c. ignem ad stuppam comburendam, sic ut combustio sit ab homine prout est ab igne comburente, in quantum homo concurrat ad omne id, quod se tenet ex parte ignis comburentis, prout ignis comburens præcisè à sua combustionem condistinguitur. Homo autem præter tale dispositionem cultri, ignis & circumstantiarum, ad quam de facto sequitur effectus, applicando, nihil producit per modum qualitatis præviæ ex se ad incisionem, combustionem, &c. determinantis; & tamen dicitur præmovere, prius agere

gere per virtutem suam, instrumentum ad agendum applicare, &c. ergo similiter Deus præmovendo, applicando, &c. causas secundas, præter productionem, conservationem & earum talem dispositionem, ad quam de facto sequitur effectus, nihil producit per modum qualitatis præviæ ex se ad effectum ei proportionatum determinantis; hoc modò intelliges ly *inclinari* apud D. Aug. lib. 5º. contra Iul. c. 3º. *operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas voluntates, &c. ad mala pro meritis eorum;* unde liquet concursus Dei prævium, sive præmotionem, non impedire contingentiam effectus liberi, magis quàm causa libera, ut sub negatione præviæ qualitatis Physicæ prædeterminantis, in sententia PP. Societatis, illam impediatur; & tamen esse Physicè efficacem, idque infallibiliter ex suppositione concomitante, quòd de facto sequatur effectus; non quidem efficiaci ipsius præmotionis, applicationis, &c. quia illa in effectum non agit; sed efficiaci ipsius causæ secundæ; liberæ, si libera; necessariæ, si necessaria.

LXXXIII. Confirmatur Resolutio hæc ex rejecta, Resol. 1ª. qualitate illà præviâ per modum actus secundi ex se causam secundam ad agendum determinantis; & Resol. 2ª. concursus simultaneo præcisè, ergo, &c.

D V B I V M V.

An Deus Physicè præmoveat ad entitatem Physicam peccati, sive, ut alii, ad materiale peccati.

LXXXIII. **A**Nte Resolutionem Suppono 1º. Deum esse authorem, sive causam moralem peccati sonare hæresim; quia in Trid. sess. 6. can. 6º. definitur Deum ad actum malum permissivè solum (puta prout opponitur moraliter, ut supra explicatum est) se habere: imò licet id sine periculo hæresis sic explicari posset: *Deus est causa moralis peccati quâ est actus Physicus, sive quâ est entitas Physica,* cum difficulter satis (ut infra videbitur) discerni possit inter suadentem materiale peccati, cui videt annexam malitiam, & peccantem formaliter, sive causam formalem peccati; puto à simili locutione omnino cavendum; & abhorrendum, ut rectè notat D. Thomas in 2ª dist. 33. art. 2º. in corpore.

LXXXIV. Suppono 2º. contra Durandum, à Dola, &c. quos Dub. 3º. refutavimus, Deum Physicè & immediatè concurrere ad materiale peccati, sive ad peccatum secundum suam entitatem Physicam: docetque Zumel 1. 2. q. 79. art. 2º. contrariam opinionem ut minimùm esse valde periculosa in Fide, & fortè erroneam; Malderus verò aliquando Antuerpiensis Episcopus, è contra de nostra sententia 1. 2. q. 76. ait, reliqui omnes hanc nostram, tanquam dogma Catholicum, de quo dubitare non liceat, amplectuntur.

LXXXV. Suppono 3º. sine periculo erroris dici posse Deum esse causam Physicam peccati, quâ est actus Physicus, sive quâ est entitas Physica, id enim evidenter sequitur ex eo, quòd ad illud Physicè & immediatè concurrat; neque in eo est ullum rationabile periculum, ne inferatur, ergo est causa Physica malitiæ formalis ipsius peccati; ergo (cum causa Physica sit causa simpliciter) est causa simpliciter malitiæ formalis ipsius peccati; quia malitia formalis non

R.P. Francisci Bone Spei Physica.

est de objecto causæ Phys. sed causæ moralis tantum; unde licet suo materiali esset identificata, adhuc posset per causam efficientem attingi, absq; eo, quòd per moralem attingeretur, ut patet in dormiente, in Deum blasphemante, pejerante, &c. qui blasphemix & perjurii est causa efficiens; non verò moralis.

LXXXVI. Suppono 4º. præmotionem Physicam esse duplicem, unam ex se inferentem actum per modum ultimæ determinationis, & illam dubio præcedenti Resol. 1ª. rejecimus: aliam ex suppositione concomitantis determinationis necessariæ, vel liberæ, causæ secundæ necessariæ, vel liberæ, sui ad actum, quæ plurimum differunt, ut consideranti patebit dicta Dub. præcedenti Resol. 1ª. & 3ª. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

LXXXVII. **D**Ico 1º. Deus non præmovet Physicè ad peccatum formaliter, ut peccatum est. Hæc Resolutio est de fide.

LXXXVIII. Probatur ex Scriptura. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tuam.* Psalm. 56. *Nemini mandavit Deus impiè agere.* Ecclesiast. 15. *Deus autem intentator malorum est.* Iacobi 1º. Deinde hujus Resolutionis veritas satis patet ex præsuppositis, oppositamque, vel ipsi hæretici damnant & criminantur. *Crudelis* (inquit Melancthon) *opinio est, quæ facit Deum authorem peccati, quod ista faceret, à quâ auribus & oculis abhorreere debemus,* ergo, &c.

R E S O L U T I O II.

LXXXIX. **D**Ico 2º. Deus non præmovet Physicè ad peccatum materialiter, sive ad entitatem Physicam peccati per qualitatem præviam ex se inferentem actum peccaminosum per modum ultimæ determinationis.

Probatur 1º. quia, ex dictis Dubio præcedenti Resol. 1ª. qualitas illa omnino superflua est, & contra mentem D. Thomæ, ergo, &c.

c. Probatur 2º. causa Physicè prædeterminans per præviam qualitatem ex se determinantem ad materiale peccati, cui malitia necessariò sit annexa, pejus facit, dum eam malitiâ materiali istius peccati necessariò esse annexam videat, quàm si suadeat, consulat, &c. materiale peccati, cui videt necessariò annexam esse malitiam: sed hic esset causa & author peccati formaliter, ergo à fortiori ille minor & consequentia patent: Probatur major, quia ille Physicè & moraliter determinat ad id, ad quod suadens moraliter tantum determinat, ergo pejus facit.

c. Dices entitas & malitia peccati spectant ad diversum genus; entitas quidem ad effectum Physicum & causam Physicam; malitia verò ad effectum moralem & causam moralem; ergo Deus potest per dictam qualitatem Physicè præmovere ad entitatem peccati, absque eo, quòd Physicè præmoveat ad malitiam peccati.

c. Respondeo concessio antecedente, distinguendo consequens, ergo Deus videns materiali peccati necessariò esse annexam malitiam, potest per qualitatem dictam Physicè præmovere ad entitatem peccati, absque eo, quòd simul moraliter præmoveat ad malitiam peccati, nego consequentiam; sic ut simul moraliter præmoveat ad malitiam peccati, concedo consequentiam. Sed ut sic est author

L

thor